



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XXVIII. V. habentes potestatem eligendi Confessarium, possint legitimè
quibuslibet confiteri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput VI. De Ministro

re suam potestatem, cum hoc fit uti iurisdictione.

Nulla igitur rati habitio sufficit, tametsi videat & taceat Parochus aut Episcopus, ut integrum sit simplici Sacerdoti, aut Confessione audire, aut absolueret: sed requiritur expressus Superioris consensus; cum alteri sententiae neque ratio neque vis, neque (quod sciam) laudabilis vlla suffragetur Ecclesiastica consuetudo.

Questio *Possumtne habentes potestatem eligendi Confessarium, legitimè quibuslibet confiteri?*
XXVIII.

Responso. **T**Ales eligere possunt, quoscumque volunt Confessarios; quia ad Absolutionem tantum duo requiruntur, videlicet, Potestas ordinis, & Iurisdictionis, cumque Potestatem ordinis quilibet Sacerdos habeat, potestatem Iurisdictionis tum is ipse concedit, qui concessit privilegium; & sic poenitentes non eligunt eum, qui est Confessarius, sed per electionem propriam, si antea non erat, faciunt Confessarium; sicut cum eligitur Episcopus, non eligitur ille, qui erat Episcopus, sed qui non erat, eligitur in Episcopum.

Ratio huius manifesta est, quia in hoc solo differt Sacerdos habens iurisdictionem a non habente, quod ille habet materiam, hic autem non; & huic nihil aliud deficit ad hoc ut possit absolueret, nisi materia circa quam exerceat

exerceat potestatem, quam accepit, dum fuit ordinatus. Cùm ergo recipienti Bullas, detur potestas subiiciendi se, cui voluerit, iam talis Sacerdos electus habet materiam & iurisdictionem circa illam, vnde nihil sibi deficit.

Sed quamuis prædicta doctrina fuerit ante Concilium Tridentinum inter Doctores triuialis, multumque recepta, iam tamen post prædicti Concilij determinationem Sessione Vigesima tertia Capite decimo quinto reformationis, nullus est idoneus ad Confessiones audiendas reputandus, nisi beneficium parochiale habeat, aut ab Episcopis per examen (si illis videbitur necessarium) aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem ab eis obtineat.

*Potestne Parochus & curatus unius
Episcopatus sibi subditum audire
in alio Episcopatu?*

*Quæstio
XXIX.*

PARochus potest suos parochianos vbicunque terrarum, etiam extra Dicecesim, audire & absoluerè; quia fit sine strepitu iudicij, & nemini vlla irrogatur iniuria. Similiter etiam Religiosus, qui facultatem habet sui Prælati Religiosorum Confessiones audiendi, quemcunq; subditum sui Conuentus potest vbicunque terrarum absoluerè, præterquam à casibus reseruatis. Et sic, quan-

Responsio

L 7 do duo